

Handwritten text on the adjacent page, including numbers 3, 2, 5, 6, 7, and 8.



1678.

1. Bohn, Johannes, Fac. med. pro-cancellarius: Programm,
quod iuribus et actum salernensium Johannem Fridonem Hlzigii.
2. Bornius, Tobias, Fac. jur. pro-cancellarius: Programm,
quod actum Almannum presentationis seu causae dationis
juris iuris et ad eundem . . . iuribus
3. Carpzovius, Augustus Benedictus: De jure aggratiandi
4. Carpzovius, Augustus Benedictus: De remedio
5. Carpzovius, Augustus Benedictus: De jure bovarum.
- 6^a, 6^b, 6^c Carpzovius, Augustus Benedictus: De processibus
iurisdictionum privilegiorum 3 Saupl. 1678? 1718
7. Carpzovius, Augustus Benedictus: De blasphemia.
8. Carpzovius, Augustus Benedictus: De bonis uxorum
receptitiis
9. Cramerus, Martinus Zacharias: De eo, qui est
in diem fortunam pervenit

10^{a, b, c}
= Seeholdd, Heinricus : De lteris incarcerationis
potentibus s. arrestatorius 3 Junii 1678, 1702
i 1741.

11. Gilmulus, Michael : De uretro orca vulgaris
suppositiva spermatis ceti larva detecta.

12. Fresenleben, Joh. Bartholom : De ludis

13. Gieslerus, Fridr : De suspensione rei in criminali-

bus.

14 Gieslerus, Fridr : De civitatibus municipalibus in

Imperio Romano-Germanico.

15 Giesler, Fridr : De juramentis.

16. Gieslerus, Fridr : De civitatibus Imperialibus canonicis

juribus.

17. Hahn, Joh. Georgius : De Electoratu Prussie
bellicosi

18. Heimeri, Daniel Augustinus : De consensu ad actum

validitatem necessario

1678

19. Flüg, Gumperts Nicolaus : De officii in favorem
terti resignatione

10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100



2. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA
De

1678, 6

yo
623

7/

PRÆCIPUIS RU-
STICORUM PRI-
VILEGIIS,

quam

Auxiliante Divinâ Gratiâ & Consentien-
te Magnifico ICTORUM Ordine

Sub PRÆSIDIO

DN. AUGUSTI BENEDICTI
CARPZOVII,

J. U. D. Pandect. Prof. Publ. Canon. Numburg.
& Facult. Jurid. Assessor.

ANNO M. DC. LXXIIX. D. XXXI. Maji.

H. L. Q. C.

publico Eruditorum examini exponit

A U T O R

CHRISTOPHORUS HEINRICUS Schwegrichen/
Misenensis,

L I P S I Æ,

Typis CHRISTOPHORI GÜNTHERL

51

fl. Mag. Cyprian.



DISPUTATIO JURIDICA

DE
PRAECIPIIS RI-
STICORUM PRI-
VILEGIIS

Auxiliante Divinae Gratiae & Consuetudine
et Magnifico IUSTORUM Ordine

Sub Praesidio

DR. AUGUSTI BENEDICTI
CARPZOVII

J. U. D. Pandect. Prof. Publ. Canon. Numburg.
& Facult. Juris Altorf.

ANNO M. DC. LXXV. D. XXV. M. DC.

H. E. G.

Publico Examine

A U T O R

CHRISTOPHORUS HEINRICUS
Milenensis

Typis

CHRISTOPHORI GENTHERII



Q. D. B. V.

DISPUTATIO

De PRÆCIPUIS RUSTICORUM PRIVILEGIIS.

CAP. I.

De rustici definitione nominali.

§. 1.

Drivilegiorum rusticorum interpretationem facturus operæ pretium duxi, vocabulorum prius explanare sensum, quam rem ipsam aggrediar, non quòd verborum desiderem dissertationem, sed quia vel ipse Ulpianus *l. 1. ff. de J. & J. l. 1. pr. ff. de R. C. l. 1. pr. ff. de acquir. poss. l. 1. pr. ff. de furt. l. 1. §. 1. ff. de Pactis. l. 49. ff. de V. S.* è re juri operam daturi judicat, unde juris descendat nomen, nosse: quia verò primi vocabuli definitio, toties fuit repetita, ut quis in eâ investigandâ copiosus Iliada post Homerum conscribere videatur, insuper nec de privilegiis absolutè agere mei sit propositi; illud saltem addo, quod per privilegium nihil intelligam aliud, quam jus aliquod speciale atque præcipuum, quod privat quasi legem generalem vi suâ obligatoriâ, Richter. *Decis. 4. n. 9. & 10. Eck. §. 6. ff. de const. Pp.* aut quod privatis, id est, singulis, non omnibus competit. *vid. Job. Philipp. in usu præct. Inst. l. 1. ecl. 13. n. 3.*

§. 2. Duplicem autem Logici faciunt definitionem, nominalem alteram, alteram realem: Illam si respicio in præsentì themate, vocabulum *rusticus* derivatum videtur à *Rure*, *vid. Becm. de Orig. lat. lingv.* hoc autem à *rursus* quidam dictum putant, quia in *rure* quotannis *rursus* eadem fiant, sc. ut fructus capiantur, *Varr. l. 4. de lingv. lat.* Germanis dicuntur *Bauern* à *bauen* quasi ein *Bauer* des Landes oder *Ackers*.

A 2

§. 3. Neq



§. 3. Nec unā eademqve significatione semper sumitur hoc vocabulum, nonnunquam enim usurpatur adjectivè, & denotat rem propter usum & finem ipsius rebus urbanis oppositam, licet ipsa quoque in urbe existat, v.g. prædium rusticum *pr. §. 3. f. de servit. præd. l. 1. 2. & passim ff. de S.P.R.l. si prædium C. de præd. minor. l. 99. ff. de leg. 3. familia rustica l. 166. ff. de V. S. ibique Joh. Jac. Wissenb. n. 3. locus rusticus Eck. de damn. infect. §. 1. l. 19. §. 1. ff. h. t. it. l. 5. pr. ff. finium regund. mancipia rustica l. urbana 166. ff. de V. S. l. servit. urbanis & l. cum quaereretur de leg. 3. l. quemadmodum ff. de supell. leg. l. si prædium C. de præd. minor. vel distinguit personam cultiorem à rudiori, ingeniosiore à simpliciore, licet inter cives ea degat: Sic Ovidius puellas illas, quæ vel propter austeritatem vel simplicitatem ad svavisima verborum commercia invitare nesciunt adolescentes rusticas, i.e. *Bauermägden* appellat, *lib. 1. de remed. amor. v. 350.**

*Et poterit dici petulans quæ rustica non est,
Et poterit dici rustica, si quæ proba.*

Nonnunquam usurpatur & substantivè vel ad faciendam alicui injuriam, wenn man einen einen groben Bauer nennet / v.g. apud Virg. *Eclog. 2. v. 56.*

Rusticus es Cōrydon,
vel ad denotandos homines illos illasve simplices, qui quæve colunt in rure, exercentque rus, quo sensu & nos hoc vocabulo in præsentī negotio utimur.

§. 4. Hi vero rustici alio nomine dicuntur agricolæ, agricultores *aut b. agricultores C. quæ res pign. obl. possunt agricultores, ruricolæ, rusticani, l. ne quis Cod. ne rusticani ad ullum rus habitantes, rusticantes, pagani.*

§. 5. Ex dictis facile patet, quod per privilegium rusticorum intellectum velimus, scilicet non omne id, quò utuntur indistinctè omnes rustici, sed illud modò, quò rustici simplices atque in pagis viventes præ reliquis vel sagacioribus vel in urbe viventibus gaudent. Et hinc sequitur

CAP. II.

CAP. II.

De
Definitione privilegiorum rusticorum
reali.

§. 1.

Sunt itaque privilegia rusticorum privilegia rusticis ob rusticitatem partim, partim ob solitudinem & paucitatem hominum in pagis viventium, ex dispositione superioris singulari circa ipsorum personas, res atque actiones competentia.

§. 2. Genus constituimus privilegia, quia secundum naturam suam cessare hæc faciunt jus commune, quæ quoque natura est omnium privilegiorum. Cum verò privilegia realia alia sint, alia personalia *Eck. ff. de Const. Pp. §. 7. l. 196. ff. de R. J.* personalia iterum vel communiter, vel singulariter talia, §. 6. *I. de J. N. G. & C.* quæstionis est, quibusnam hæc annumeranda sint? Resp. personalibus, 1. quia hæc privilegia non adherent rebus vel causis rusticorum, ut ea cum rebus à se ad personas civiles transferre possint. 2. quia da a sunt personis rusticorum & cum iis extinguuntur, & cum hæc non uni rusticorum individuo competant, sed omnibus, sequitur, quod referenda sint inter privilegia personalia, non singulariter sed communiter talia. *vid. Wissenb. ad l. 68. & 196. ff. de R. J.*

§. 3. Differentia petitiur partim à causa efficiente & impulsiva, quarum illa est specialis à Superiore facta juris dispositio; hæc verò rusticitas atque simplicitas, de quibus cap. seq. ulterius, partim à subjecto, quod constituunt rustici, de quibus cap. 4. partim ab objecto, quod sunt personæ res atque actiones, de quibus cap. 5. partimque ab effectu & contrariis, quod est rusticorum simplicium à jure communi exemptio, & sagacium eorumque qui in civitate degunt, ab his privilegiis exclusio.

CAP. III.

De
Causâ efficiente & impulsivâ.

§. 1.

Causam efficientem fecimus specialem à Superiore factam juris
A 3 dispo-



dispositionem: cum enim hæc privilegia sint contra generalem juris dispositionem, ita, ut eam tollant, necessario requiritur, ut etiam autorem agnoscant eum, qui derogare legibus potest, seu penes quem legislativa existit potestas, *l. 1. § 1. ff. de Const. Pp. Reink. de regim. secul. & Eccles. l. 1. class. 2. cap 2. n. 10.* Hunc autem vocavimus Superiorem, per quem intelligimus eos, qui pollent juribus majestaticis in suis territoriis, sive sit unus, sive pauci, sive omnes.

§. 2. Possunt itaque in Imperio nostro privilegia rusticis concedere post Imperatorem, Electores aliique Status Imperii, ideò, quia hi in suis territoriis vi juris Superioritatis leges sancire possunt. *Bach. & Hahn. ad Wesenb. d. l. n. 3. vers. localem quisque Dux.* Jam verò à sanctione legis ad concessionem privilegii firmiter argumentari licet. Siquidem talem specialem dispositionem deprehendimus quoque in jure Civili tam Digestorum, ubi expressus textus est, *in l. 7. §. 4. ff. de jurisdiction. quam Codicis. vid. l. ult. C. de testament. auth. agricultores, C. quæ res pign. obl. poss. & alibi, ut & Novellarum, uti patet ex Nov. 32. 33. 34. & passim.* Nec minùs *in R. I. de anno 1512. tit. von Testament §. und sollen die Notarien/ vers. 2. item und auff den Gau.* Hic quæritur de Nobilibus, quibus merum imperium aut secundum mores hodiernos, alta jurisdictio concessa est, an & ipsi rusticis suis privilegia concedere possint? Quod negandum videtur, quia illa jurisdictio in facultate de rebus criminalibus cognoscendi & statuendi, imò & exequendi sententiã criminalem consistit *l. 3. ff. de Jurisdiction.* non verò in sanctione legum, utpote quæ neque imperii, neque jurisdictionis est, *Treutl. vol. 1. D. 3. th. 5. lib. 6.* sed ad regalia pertinet: jam vero leges qui condere nequit, privilegia quoque concedere non posse firmiter inferitur.

§. 3. Causa impulsiva est duplex, partim rusticitas i. e. simplicitas atque imperitia, uti loquitur *Meier. in C. 7. A. de prob. th. 20.* quam sinceram ac simplicem veritatis nunciatricem appellat *Choppinus in tr. de priv. rust. l. 2. c. 3. p. 173.* licet enim rustici soleant esse versuti, audaces, callidi, sagaces, nec boni nisi coacti, communiter tamen simplices & stolidi habentur, *Richter. p. 1. decis. 1. n. 191. seq.* Hæc itaque simplicitas cum rusticis quasi propria & innata sit, quare lucro debeat cedere homini versuto & callido? *Meier. cit. loc.* partim quoque solitudo seu paucitas hominum iis præprimis in causis, ubi inter-

628
personas civiles requiritur pluralitas. Hæc a. simplicitas vera sit, non
simulata necesse est, sicuti erim deceptis non decipientibus huiusmodi
privilegia communiter succurrunt, ad l. 2. §. 3. ff. de Scrum Vellej. l. 37. ff. de
minor. ita etiam doloso rustico non erit auxilio privilegium, quin po-
tius omnia jura rusticitati, quæ subveniunt ita, limitanda sunt, nisi ru-
stici sint versuti atque sagaces. *Myns. ad §. 8. l. de excus.* Si verò de sim-
plicitate rustici dubitetur, *Qv. Cui incumbat probatio an rustico, an
verò parti adversæ?* Resp. cum simplicitatem rusticis quasi propriam
& innatam antea cum Richtero diximus, præsumendum videtur
pro rustico, & onus probandi parti adversæ imponendum, cum &
aliàs quilibet bonus præsumatur, donec contraarium probetur. *arg. l. 1.
si. pr. ff. pro socio.*

CAP. IV.

De

Subjecto privilegiorum rusticorum.

§. 1.

Subjectum privilegiorum rusticorum est rusticus, de quo nota
S originem in Germania: ea autem adscribitur Henrico Aucupi:
Etenim cum à Francis ad Saxones Imperium esset devolutum, hic-
que Henricus Hungaros atrocissime Germaniam affligentes ita
contudisset, ut in posterum à Germania vexanda abstinere necesse
habuissent, militiam instituit Germanicam, oppida hinc inde condi-
dit, ac nonum quemvis virum ex agro & pagis cum tertia frugum
ad eos spectantium parte in prædicta oppida transtulit. *vid. Lehmann,
in Chron. libr. 5. c. 1. & Germaniam in tres status divisit, nobiles, cives
& rusticos. adde Georg. Horn. Orb. Polit. c. 1. p. m. 15.* II. Descriptionem:
Rusticum autem, salvò aliorum iudiciò, ita describo, quod sit perso-
na rudis, quæ ad agrum commodius colendum, operasque rusticas
peragendas ab urbanorum conversatione & strepitu forensi remota,
laboriosam in illis degit vitam, *Richt. qv. 1. decis. 1. n. 190.*

§. 2. Appellavimus rusticum personam 1. rudem: à rusticis
enim cum quotidie laboriosissimæ operæ sint præstandæ, quæ à per-
sona delicata & à capsulâ quæ subinde prodit, expectari non possunt,
nec tribui hoc nomen ipsis posse videbatur: 2. laboriosam vitam de-
gentem, quibus non obstant elegantissimæ agriculturæ encomia
passim

passim apud Scriptores occurrentia. Sic Cicero *l. 1. offic.* nihil agriculturâ dulcius judicat: nec, quòd hujus dulcedine commoti multi heroës, relictis armis vitam in arvis egerint: Sic Hercules manu suâ quercus sevisse dicitur, *Plin. l. 16. c. 44.* Sic agriculturæ quoque deditus fuit Diocletianus Imperator, *Tinqv. tr. de nobilitate c. 32. n. 5. adde Val. Max. l. 8. c. 14.* Horum enim labores, si comparabis cum rusticorum laboribus, totò cœlo differre eos deprehendes: indicare enim, quid factu opus sit, seu usurpare oculis, quod alii expediunt, & manibus pedibusque rem ipsam maturare, differre à se invicem, quis non intelligit? Et sicut fruges crescentes aspicere uberrimam hominis animo gaudii materiam præbet: Sic facere, bene ut crescant, durissimum corpori affert laborem. Et quid? si vel maxime illi laboraverint, laborarunt non coacti, & quod laborando lucri fecerunt, sibi acquisiverunt: At miseri rustici laborant coacti, & ita laborant, ut alios suo sudore conservent, quod satis indicant rhythmus illi durissimam illorum conditionem hunc in modum delineantes:

Der Kånser will haben seine treue Pflicht/

Der Pastor will haben seine freye Dvitt/

Der Edelmann spricht ich bin frey/

Der Jude treibt seine Bucherey/

Der Soldat spricht/ ich gebe nichts/

Der Bettelmann spricht/ ich habe nichts/

Da sagt der Bauer/ das muß Gott walten/

Muß ich denn diese alle erhalten/

So geb ich mich gedultig drein/

Und wollens also zu frieden seyn.

§. 3. Denique ideò in villis vivere diximus rusticos, ut commodius agrum colere possint: cum enim è primo statim jubaris ortu, vel etiam ante eum surgendum sit agricolis, inque hortos camposque progrediendum, ibidemque commorandum ad seram usque vesperam, commoda ipsis in urbibus habitatio dari non potest: utpote cujus portæ ad statutum tempus clauduntur & recluduntur, quisquis etiam foràs existat: Hinc cum Serenissimus Elector Sax. hanc rem accuratiori mentis trutinâ perpendisset, multosque VVittebergæ existere, qui solâ agriculturâ viverent, vidisset, certum tem-

pus

629
pus per totum annum definit, quo aperiri & claudi portæ debe-
rent, ut & illi rem suam curare possent, arx vero non haberet, quod
timeret ex apertura portarum. *vid. die Erledigung der Landsgebr. etc.
von justitiens Sachen §. wie es zum 94.*

§. 4. Dividere autem rusticos possumus I. ratione prædiorum
in rusticos prædia rustica majora possidentes, die Pferdner/so Pferdes
güter haben/ & colonos seu hortulanos, die Häusler/ Hintersassen
oder Gärtner: Quamvis autem illi sæpissime plures easque durio-
res operas præstare dominis suis teneantur, attamen quia hoc con-
tingit intuitu prædiorum, ita ut quò plura quis possideat prædia, eò
plures præstare operas teneatur, tam hos, quam illos privilegiorum
rusticis concessorum capaces existimamus. II. in manentes seu a-
lieni juris, qui ex singulari statuto usuque recepto ita quasi glebæ
adscripti, ut invito domino discedere non possint, sed manere co-
gantur, quos Saxones Lassen/ Poloni Kmethones vocant, de quibus
videri potest *Frid. Husan. tr. de propr. hominib.* Et liberos seu sui juris,
qui invito quoque domino prædia sua vendere & domicilium muta-
re possunt. Ulterius possemus dividere rusticos ratione frugum,
quas eorum proferunt fundi, in Korn- oder Weizen- Bauern/ &
Weinbauern. Verum qualis qualis sit divisio, omnes tamen rusti-
ci simplices & in pagis viventes huc pertinent. Obiter hic quæritur,
an rustici nostri differant à servis Romanorum? quod omnino affir-
mamus, quia servitus in Christianorum Rebus publicis esse desit,
nec nisi contra Turcas ac Saracenos aliosque infideles usurpatur,
Philipp. in usu Pract. I. l. 1. Ecl. 38. Ergo sequitur eos esse liberos, cum
statum mixtum non admittat jus nostrum. *pr. I. de J. P. l. 3. ff. de stat.
hom.* Non obstat, quod sint in potestate suorum dominorum: quia
in ea sunt non ut servi: neque quoad personam, sunt enim liberi, ceu
jam dictum, neque quoad bona, sibi enim, non dominis, ut servi, ac-
quirunt. *§. 3. I. per quas person. nob. acquir.*

CAPUT V.

De

Objecto Privilegiorum rusticorum.

§. 1.

Sicuti omne jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res,
B vel

vel ad actiones §. 12. I. de J. N. G. & C. ita objectum privilegiorum rusticorum constituunt partim ipsæ rusticorum *personæ*, partim eorum *res* atque *actiones*: Primum itaque cujus vis ad personas res atque actiones se exerere videtur, est, quod rustico jus ignorare liceat. l. 2. §. 1. ff. si quis in jus vocat. Mollenbec. in divis. jurid. cent. 2. divis. 40. lit. b. Ubi quæritur, quousque hoc privilegium se extendat? Resp. non certe ad jus naturale, i. quia hoc natura omnia animalia docuit, pr. I. de I. N. G. & C. ergo docuit certe & rusticos. II. quia privilegia rustica dependent ex jure civili, civilis autem ratio civilia quidem jura corrumpere potest, naturalia vero non utique §. 3. I. de leg. agnat. tut. nec ad jus gentium, cum quod omnes gentes sciunt, rustici ignorare non possunt: nec ad omne indifferenter jus civile, sed ad illos saltem casus, qui in legibus sunt expressi. arg. l. f. C. de jur. & fact. ign. Renat. Chopp de priv. rust. l. 1. p. 2. c. 5. n. 4. v. g. in l. 1. §. f. ff. de edend. l. 25. §. 1. ff. de probat. l. 2. §. f. ff. de jure fisci l. 8. C. qui admitti ad bon. poss. possunt. 5. 9. l. 3. §. 22 ff. de SCto Sillanian. it. ad casus difficiles & reconditos, Berlich. p. 2. concl. 22. n. 4. & ubi peritiores consulere non possunt, Finkeltb. obs. 75.

§. 2. *Personas* itaque quod concernit gaudent privilegiis præ aliis rustici primo circa servitia Dominis suis ex universali totius fere Germaniæ consuetudine in terris nostris expressâ Sanctione suffultâ, vid. Ord. Provinc. de anno 1555. tit. von Baufronen. & p. 2. const. Aug. 52. ad quam vid. Carpzov. præstanda, quæ in eo consistunt, ut tempore sationis atque collectionis ab ipsis sint immunes. l. 1. C. de agric. & cens. Carpz lib. 6. Resp. 122. n. 14. cum tamen aliis temporibus rustici ad ædificia extruenda vel reparanda vel melioranda, Dominis suis operas tam manuales quam vecturas præstare cogantur. Carpz. p. 2. c. 52. d. 1. & in foro Saxonico quidem non solum ad ædificia habitationis, sed etiam ad omnia, quæ necessitas & utilitas feudi requirit, Decis. Elect. 33. ibique D. Philipp. obs. 1. n. 5. Quod privilegium concessum rusticis propter utilitatem partim propriam, partim publicam, quia si in satione & collectione tempus opportunum non observetur, opera luditur, Brunnem. ad l. 1. C. de agric. & cens.

§. 3. Porro circa tutelam & curam iterum fruuntur privilegio rustici: Cum enim communiter omnibus imponi possit tutela atque cura, nisi prohibeantur arg. l. 43. §. 1. ff. de procur. paucis exceptis;

ceptis, de quibus *tot. tit. 7. & ff. de excusat.* Rustici tamen interdum excusantur, *l. 6. §. 19. ff. de excusat.* si sc. rusticitati adjuncta si simplicitas *Myns. ad §. 8. I. de excus.*

§. 4. Deniq; Jus speciale tuetur rusticos ab exactoribus tributorum fiscalium: Licet enim alias jus tributarium fundi ac possessoris sit persecutorium *Chopin. l. 1. c. 10 n. 1.* Coloni tamen inquietari non possunt ab exactoribus nomine Dominorum propter tributa fiscalia. *l. 15. C. de agric. & Cens.*

§. 5. Personas rusticorum eorum excipiunt *res*, inter quas prædia rustica principe loco haud immeritò refero, in quibus illud privilegium observare licet, quod sint immunia ab hospitatione militum *l. 5. C. de metat. & epidemeticis*: quod in dicta lege & ampliatur & limitatur: ampliatur, ut licentia sit quibuscunque possessoribus mensorem præparandi hospitii causa accedentem propriâ autoritate repellere. Limitatur, ut una nocte commorandi facultas militibus concedatur, & hoc iterum propter favorem agriculturæ, *Brunnem. ad dict. tit. C. n. 23. add. Tabor. de metat part. 3. sect. 2. cap. 3. art. 1. per tot. p. 229. seqq. Perez. d. t. n. 4. II.*

§. 6. Placet autem considerare *res* juxta earum acquisitionem, de iisdem dispositionem & amissionem. Acquisitionem perpendens invenio jus speciale in usucapione prædiorum desertorum *in l. 8. C. de omni agro deserto II. 58.* Cum enim ad usucapionem rerum immobilium inter alia requiratur possessio continuata per decennium atque vicennium juxta distinctionem *in pr. I. de usucap.* constitutum legimus in d. l. talem agrum præscribi posse intra biennium: quod ampliatur, ut procedat præscriptio sive contra *l. fin. C. unde vi*, propria autoritate prædium fuerit occupatum, sive à peræqvatoribus (qui sunt exactores censuum capitationis, & sic dicuntur, quod æqualiter ab omnibus eas exigant, ex mente Alciati apud Calvin. *in Lexic. Jur.*) illud colonis fuerit additum. Cujus privilegii duæ allegantur causæ, favor partim agriculturæ, partim tributorum fisco debitorum *vid. Brunnem. ad d. l. 8. C. de omni agro deserto II. 58. de usu terrarum Saxonicarum vid. Rescript. Electorale de anno 1659. in corp. Sax. post resolut. grav. de anno 1661. fol. 195.*

§. 7. Dispositio circa res rusticorum expeditur vel *inter vivos* vel *inter mortuos*. Utroque casu concessa ipsis sunt privilegia. Rusticus enim moriturus de rebus suis potest disponere

B 2 coram

coram quinque testibus, si sc. plures haberi nequeant, *Schneidw. in tit. I. de testam. ordin. rubr. de solenni testamento, n. 15.* nec necessario requiritur, ut testes illi quinque propria manu testamentum subscribant, *l. f. C. de test. quæ utique sunt beneficia, cum aliàs regulariter septem requirantur testes §. 3. I. de test. ordin. l. 21. §. 2. ff. qui test. fac. poss. l. 21. C. eod.* qui singuli propria manu annotare necesse habent, qui & cuius testamentum signaverint *l. 30. ff. q. test. fac. poss. Ludw. ad §. 3. I. de test. ord.* Hujus privilegii duæ ab Imp. allegantur rationes, quarum prima est rusticitas atque legum imperitia. Ita enim Justinianus *d. l. ult. C. de test. Cum enim testamentorum ordinatio sub certâ definitione legum instituta sit, homines rustici, & quibus non est literarum peritia, quomodo tantam possunt legum custodire subtilitatem; Secunda est vita solitaria & ab hominibus literatis remota; ita enim ulterius fancivit Justinianus: Si verò unus aut duo vel plures fuerint literati, licet eis pro ignorantibus literas, presentibus tamen, subscriptionem suam interponere* *Carpz. p. 3. C. 4. d. 40.* & hæc potissima ratio est privilegii: quod si enim plures, quam quinque testes haberi queant, illi adhiberi debent, *d. l. ult. verb. ita tamen, ut ubi scientes literas inventi fuerint septem testes literas scientes, adhibeantur.* Quid verò sentiendum de testamento pagani coram duobus testibus & parochio confecto, an & illud erit validum? Negativam defendit *Carpz. p. 3. c. 4. d. 40.* legibus antea allegatis innitens. Affirmativam contra tuetur *Coler. p. 1. Decis. 35. n. 4. Richter. Decis. 28. n. 10. Hahn. ad Wesenb. q. test. fac. poss. n. 10. vers. rustici.* Jus Canonicum atque observantiam allegans. Dicendum videtur, tunc admitti posse tale testamentum, si aut consuetudo specialis, aut peculiare statutum de eo doceri possit.

§. 8. Ex dictis facile patet, quid dicendum sit de civibus ruri testari volentibus: iis sc. privilegium hoc non competere *Ludw. exerc. 8. d. 9. lit. C.* nisi forte in itinere in morbum incidant, nec in civitatem redire possint, sed cogantur ruri testari, ubi septem testes haberi non possunt, uti demonstrat ex *Mæv. ad jus Lubec. p. 2. tit. 1. d. 2. n. 59. Struv. in Jurispr. Rom. Germ. l. 2. tit. 16. n. 12.*

§. 9. Q. hoc loco: an rusticorum privilegium competat quoque Sacerdotibus, nobilibus, fabris, sartoribus &c. in pagis degentibus? Affirmo hoc ipsum cum *Hahn. ad Wesenb. q. test. fac. poss. n. 20. Struv. in Jurispr. Rom. Germ. libr. 2. t. 16. n. 6. Brunn. & Wissenb. ad l. f. C. de testam. & Dd.*

De communiter; sc. in his eadem militat ratio defectus sc. testium: unde & hâc in parte rusticorum loco habentur, *Wisenb. d. l.* Qvanquam enim ob rusticitatem ac simplicitatem datum hoc sit privilegium paganis, quæ & ipsa ratio movere Imperatorem ad hanc dispositionem potuit, sola tamen non est, sed defectus etiam testium *Finkelth. obs. 75. n. 14.* quod ipsa verba Constitutionis Imperatoris præcedente §. allegata disertè loquuntur, cum quibus convenit *Const. Maximil. I. R. I. de anno 1512 tit. von Testamenten/ §. und sollen verb. wo Bauersleut Testament machen/ und mehr Zeugen nicht zu bekommen wären. Godofred. ad d. l. ult. C. de test. lit. L. Vasquius l. 3. de Success. §. 22. num. 32. seqq.* Hæc ergo ratio cum potissima sit remissionis solennitatis testamentariæ, & in dictis personis æque ac in rusticis militet, quin eandem juris dispositionem etiam constituat, nullus dubito.

§. 10. Res rusticorum *inter vivos*, quæ expediuntur, *pacta spectant, vel contractus, vel delicta*, ubi iterum certa occurrunt privilegia. Et quidem respectu *pactorum* in pacto antichretico, quod est, quando ea conditione res pignori datur, ut creditor percipiat fructus invicem usurarum, donec pecunia solvatur. *l. 11. ff. de pign. & hypoth. Ludov. exerc. 11. th. ult. lit. C.* & valet hoc pactum inter cives, licet fructus usurarum modum excedant, *Brunnem. ad l. 14. & 17. C. de usur.* Id quod tamen cum distinctione inter antichresin tacitam & expressam est exaudiendum. Illam dicunt, si creditor data pecunia simpliciter, nulla usurarum mentione facta pignoris loco rem fructiferam accipiat, quo casu tacitè actum videtur, ut creditor ejus fructus usque ad legitimarum usurarum modum retineat, *propter l. 8. ff. in quib. causis pign. tac. contrab. Meier. in C. I. A. de pign. & hypoth. th. 14.* Hanc verò, si expressis verbis paciscatur creditor, ut pro usu pecuniæ fructus rei oppignoratæ loco usurarum lucretur. *l. 39. ff. de pign. actioni.* & hoc in casu subdist. est, an res pignori data certos annuatim ferat fructus, an verò incertos? priori casu illud, quod excedit quantitatem usurarum, quotannis sorti imputandum est *l. 2. in fin. C. de usur. posteriori casu ubi fructus sunt incerti, neutiqvam. arg. l. 17. C. de usur. vid. Hahn. ad Wesenb. de pign. & hypoth. n. 5.* Unde etiam est, ut quidam distingvant inter prædia rustica & urbana ita, ut in his v. g. ædibus, cum pensiones semper sint certæ. *l. 14. C. de usur.* quæ usurarum

B 3 quanti-



tatem excedunt, forti imputentur, non vero in illis, quia non quilibet fundus quovis tempore æquales fructus fert, ut modus usurarum adeo exactè observari nequeat. *Bach. ad Treutl. v. 2. Dith. 6. B. Tabor. tr. de alt. tant. p. 3. tit. 12. Schäffer p. 2. quest. 27. Q. I. A. cit. loc. th. 14. Rauchbar. lib. 2. tit. 20. Wisenb. ad ff. p. 1. D. 39. th. 24. & ad l. 14. C. de usur.* Contrà vero ab agricola antichresin pacisci non licet. *arg. Nov. 32. & 34.* licet enim in his novellis antichreseos non fiat mentio, verba tamen illa: *nemine penitus eorum audente terrulas detinere sub occasione fœneratiæ cautionis*: doctissimos Dd. de antichresi accipere docet *Rittersb. ad Nov. p. 3. c. 10. n. 21.* & hoc privilegium concessum est rusticis partim in gratiam ipsorum, partim propter utilitatem publicam: rusticorum enim conditio, si agellum suum alteri colendum dare cogatur, erit miserrima vid. *Balduin. de pign. cap. 16.* dein etiam tota hâc ratione turbaretur agricultura, quod absque maximo reipubl. detrimento fieri non posset. Sicut enim mundus sine mercatoribus vivere non potest, ex mente *Herm. Lather. de cens. lib. 3. c. 12. n. 34.* ita ipsum sine agricolis prorsus perire ex mente *Carpz. lib. 6. Resp. 122.* verissime erit dictum.

§. II. *Contractus* si respicio, privilegiis non carent rustici: insignis enim ipsis concessum est circa mutuum in usuris, quas pro re justa omnino arbitramur. vid. *Hahn. ad Wesenb. de usur. & fruct. n. 2.* Usuræ enim cum sint vel minores vel majores v. g. trientales, quincunces semissales, bessales, centesimæ & pro diversitate casuum, sive minores, sive majores solvendæ. *Eck. ff. de usur. n. 7.* constitutum est, ut ab agricolis usuras tantum trientes, id est, quatuor pro centum, *Brunn. ad l. 26. C. de usur. n. 2.* accipere permissum sit. *Nov. 32. c. 1. auth. ad hęc. C. de usur.* Ratio hujus rei est favor rusticorum, quia miseros agricolas nimium gravari æquum non est: nota vero, quod hæc usuræ tantum locum habeant in pecunia numerata, *dict. Nov.* non vero in frumento, oleo, vino & similibus fructibus: In his enim locum habent usuræ centesimæ, in singulos modios frumenti octavam partem creditor ab agricola stipulari potest, *d. Nov.* Ratio hujus rei posita est in incertitudine fructuum *l. 23. c. de usur.* Cum enim alii anni sint fertiles, alii steriles, deinde etiam quotannis pretia fructuum variant, quantitas usurarum in certa pecunia definiri non potest. vid. *eleganter pro more differentem hâc de Rittersb. ad Nov.*

632

Nov. p. 3. c. 10. n. 1. seqq. Nec obstat, quod hoc in loco fertilitas unius vel alterius anni modum usurarum legitimarum excedat, quia propter incertitudinem licitum est, quod alias illicitum esset, *Brunn. ad l. 23. C. de usur. n. 2. it. auth. ad hanc C. eod. n. 2.* facile enim potest contingere ut per alium annum plane nullos vel exiguos fructus percipiat creditor. Qu. an rusticus ab alio rustico quincunces seu communes usuras possit stipulari, an vero trientibus acquiescere cogatur? Resp. prius affirmatur per vulgarem regulam: privilegiatus contra privilegiatum non utitur privilegio, *Covarruv. c. 7. pract. qv. n. 4. & seqq. Menoch. d. cas. 66. n. 38. Hillig. in Donell. d. c. 20. lit. C. & Perez. ad l. unic. n. 4. C. qv. Imper. inter pup.* Sed necesse habet, ut ad jus commune accedat. *arg. l. 11. §. 6. ff. de minor. Zaf. ad ff. de minor. n. 57.* licet autem hoc privilegium ex pietatis ratione tanta autoritate rusticis tribuerit Justinianus, ut etiam violatoribus poenam irroga- verit, scilicet ut creditor, qui contra facere ausus fuerit ex actione sua cadat *Nov. 32. in epil. quod speciale & contra legem 8. C. Si cert. petatur omnino judicat Brunnem ad auth. ad hanc C. de usur. n. 2.* nihilomi- nus tamen optimæ leges Justiniani neglectæ jacent, & à rusticis pas- sim exigi solere usuras quincunces & semissales testatur *Rittersb. in loc. ante cit. p. 3. c. 10. n. 32. & Brunn. cit. auth. n. 3.*

§. 12. Contractum pignoratitium si perscrutamur, quæritur an res rusticorum ad agriculturam pertinentes, servi aratores, boves aratorii, aliaque instrumenta pignori dari possint? Et dari quidem expressâ conventionem posse puto, ad eum etiam effectum, ut vendi à creditoribus valeant, facit *l. 32. ff. d. pign. modo quod addit Peretz. ad tit. C. qvæ res pign. oblig. poss. vendantur agricolis,* qui in eadem villâ & possessione iisdem instrumentis ad agriculturam utantur, quæ limitatio eo magis procedit in illis locis, ubi moribus receptum, ut agricolæ fundum instrumentis rusticis in præjudicium superioris privare nequeant, de quibus *vid. Brunn. ad l. 7. 8. d. t. de generali au- tem bonorum obligatione quæ situm fuit, num eâ quoque instrumenta rustica contineantur?* Et non contineri comuniter placuit, quod pi- gnoris effectus, qui consistit in distractione & alienatione deficiat, *vid. l. 4. C. d. execut. rei jud. l. 7. 8. & auth. agriculcores C. qvæ res pign. oblig. pign.* ubi pro executione pignori capi res hujusmodi prohibentur, quod ita ampliant *Dd ut ne quidem in subsidium aliis rebus omnibus* defice-

ficientibus hoc fieri permittant. *Brunn. ad d. l. 4. Menoch. l. 2. Arb. Jud. Quest. cas. 378. n. 11.* & in unico casu contumaciæ limitant, si nempe debita servitia dominis præstare detrectent rustici, ut tum & carceri mancipari & jumenta eorum pignori capi queant. *Gail. d. arrest. c. 10. n. 1. Richt. decis. 98. n. 11.* Usu tamen contrarium obtinuit, ita scilicet, ut hæ res non tantum in causa pignoris judicialis, sed conventionalis etiam capi possint, in subsidium tamen, & omnibus aliis bonis mobilibus, immobilibus & juribus deficientibus. *Matth. Coler. d. proc. execut. p. 1. c. 3. n. 187. seqq. Carpz. Proc. tic. 25. art. 2. n. 14. adde Wisfenb. ff. p. 1. D. 39. th 4.*

§. 13. Circa emtionem venditionem iterum rusticis privilegium conceditur: Etenim si quis rem suam vendiderit, & in ipso contractu ante traditionem aut in traditionis etiam actu hypothecam pro residuo precii sibi, licet extrajudicialiter, reservaverit, omnibus aliis ratione istius precii præfertur. *Chursf. Sächs. Process. Ordn. tit. 42. pr. verb. da auch einer 2c. Carpz. p. 1. c. 28. d. 20. & pr. 2. c. 23. d. 16.* In rusticis tamen more hujus provinciæ introductum esse scribit *Anton. Rauchb. p. 1. q. 6. n. 7.* quod rebus venditis pro precio pignus retineant, etiam si de eo nominatim sibi non prospexerint, idque propter ignorantiam & simplicitatem, quam & jura communia favore & immunitate pluribus in casibus prosequantur. Sed vereor ut usu hoc in nostris judiciis, obtineat & dubitanter id ipsum loc. cit. Rauch. asseruit. Sane si specialis consuetudo & statutum locale tale quid indulgeat rusticis, invidendum id ipsis non esse, facile concesserim, quale ex *Ordin. judic. Magdeb.* adducit *Richt. in tract. de jur. ac privil. cred. c. 2. memb. 1. n. 46.* & ita etiam præjudicium ibi adductum intelligendum esse puto.

§. 14. Transeo ad contractum locati conducti, & invenio privilegium Rusticis competens: Consequitur enim locator prædii urbani jus tacitæ hypothecæ in invecis & illatis conductoris pro pensione à conductore solvendâ *l. 2. seqq. ff. in quibus caus. pign. l. hypoth. tac. contr. l. 5. C. d. loc. cond.* quod tamen secus est in invecis & illatis in prædium rusticum *l. 4. & 7. ff. in quibus caus. pign. l. hypoth.* In explicanda hujus privilegii causa *Dd.* non idem statuunt: *Eckoldus* enim *ff. in quibus caus. pign. l. hypoth. §. 3.* cum *Vinnio ad §. 8. l. d. act. n. 9.* confugiunt ad mores populi Romani, qui solebant in prædiis rusticis nata
sive

five fructus pro mercede seu pensione obligare *l. 61. §. 8 ff. d. furt. qvæ*
 & hodie sic obligantur *Hahn. ad Wesenb. in qvibus caus. pign. l. hypoth.*
n. 1. Ludv. exerc. 16. th. 2. lit. H. qvos mores postmodum in leges abiisse
 contendunt: Aliam vero adducit Zasius *ad §. 8. f. d. exit.* qvia rusti-
 corum res ejus plerumqve sunt conditionis, ut latere non possint;
 hinc facile potest certior esse locator, an sufficiant res, qvas condu-
 ctor expresse pro pensione obligavit; aliud verò est in rebus civi-
 um, qvi facili negotio possunt recondi, & sic etiam locator defrau-
 dari. *adde Struv. in Synt. jur. civil. exerc. 26. th. 16.*

§. 14. Ad res referuntur quoque delicta, siquidem per res in-
 telligimus omne id, qvod nec ad personas nec ad actiones pertinet.
Ludv. in Comm. ad pr. f. d. R. D. nec hic desunt specialia rusticis com-
 petentia: Cum enim nullum delictum absqve dolo perpetretur,
Carpz. in Prax. Crim. qvæst. 146. n. 32. seqq. hic verò nonnunquam ex fa-
 cto præsumatur *arg. l. 1. C. unde vi*, in actibus scilicet illicitis *Hahn. ad*
Wesenb. d. juris d. n. 13. verb. ut præsumitur ex facto. Speciale hoc in ru-
 sticis observatur, qvod à dolo illo præsumto sint immunes *l. 7. §. 4.*
ff. de juris d. Carpz. l. 6. Resp. 122. n. 18. Hahn. ad Wes. c. l. verb. nisi error, &
per simplicitatem magis, quam per dolum delinqvere creduntur
Richt. p. 1. decis. 1. n. 192. à delictis verò non excusantur, nisi in casibus
 expressis v. gr. in corruptione albi *l. 7. §. 4. ff. d. juris d. Carpz. in Prax.*
Crim. q. 45. n. 45. Sic etiam excusantur in hæresi, qvia juxta *Can. Hæ-*
reticus 28. cap. 24. qvæst. 3. hæretici sunt, qvi gloria principatusqve sui
 gratia falsas novasqve opiniones gignunt & pertinaci animo defen-
 dunt, qvod tamen in rusticis facile non præsumitur, *Richt. decis. 1. n.*
194. De his delictis in legibus expressis videri latius potest *Berlich.*
p. 4. concl. 1. n. 106. Menoch. in Arb. Jud. qvæst. 1. 2. cent. 2. cas. 194. n. 4. § 82.

§. 15. Jam ad amissionem rerum rusticarum, ubi *lex 8. C. qui ad-*
mitti ad bon. poss. iterum contra jus commune rusticis subvenit. Cum
 enim in bonorum possessionibus communiter certum tempus con-
 stituatur, intra qvod fieri ea debeat, scilicet à liberis intra annum,
l. 4. C. qui admitt. ad poss. à proximis agnatis & cognatis, transver-
salibus intra centum dies l. 1. § 2. C. eod. constituitur tamen in dicta *l. 8.*
 rusticis non obesse si intra præfinitum tempus bonorum possessionem
 non petierint; cujus rei ratio iterum est rusticitas, uti ex ipsa lege
 apparet, *ibi per rusticitatem.*

C

§. 16. Tan-



§. 16. Tandem devenio ad *actiones*, ubi largissimum rustici habent
qvæsitum beneficium. Cum enim cives aliquando jus suum persequi
necesse habeant modo ordinario, qvælibet causa regulariter est
ordinaria *Gloss. ad l. 3. §. 11. ff. ad exhib.* qvi multum tempus pariter ma-
gnamqve crumenam consumit, paucis exceptis casibus, de quibus
Carpz. in Proc. tit. 1. art. 1. n. 46. multisqve seqq. singulare iterum tribuit
Justinianus rusticis in *Nov. 80.* ut scilicet ipsorum causæ debeant esse
Summaria. Qvòd privilegium, ut & alia multa, ideo ipsis tributa
sunt, ne agricultura per diutinam rusticorum absentiam qvid detri-
menti capiat. *Renat. Choppin. l. 1. p. 2. c. 1.* qvòd adhuc hodie observatur
teste *Carpzovio l. 6. Resp. 122.*

§. 17. Has autem actiones sive consideremus *ante judicium*, sive *in
judicio*, ubiqve jura specialiaprehendimus: Ante judicium no-
tum est tum ex *l. ult. C. de appell.* tum ex *Ord. Proc. tit. von der Klage in
pr.* qvòd communiter qvilibet libellus debeat esse clarus & aptus,
contra si fiat, dentibus sit dilacerandus à judice: In rusticorum ve-
rò causis aliud observari tradit *Chopp. de priv. rust. l. 3. cap. 1.* scilicet
libellum rustici hominis inepte conceptum haud ideo rejici oportere,
sed omisissis juris apicibus recipiendum esse, modo obscuritas non
sit tanta, ut facultatem deliberandi auferat reo: qvo casu sicuti mer-
catorum: ita etiam rusticorum obscurus libellus admittendus non
videtur. *Nicol. in Proc. part. 1. cap. 9. n. 8.* Sic ulterius notum est ex
constitut. Electoral. 2. part. 1. qvòd in Electoratu Saxoniae non debeat
admitti libellus articulatus, sed potius, parte adversâ etiam non ur-
gente, ex officio judicis rejici. At admittitur talis, si de operis & ser-
vitiis rusticorum agatur, ubi articulatum libellum rejicere haud li-
cet, uti cum præjudicio ostendit *Carpz. l. 2. Resp. 53. n. 2.* Tertio ex an-
tea allegato titulo *V. Ord. Proc. §. wir lassen auch geschehen.* docemur,
qvòd in uno libello ultra tria capita ex diversis causis promanantia
non debeant proponi *Carpz. p. 1. c. 2. d. 4.* At statim annectitur specia-
le jus rusticis concessum, cum verbis, *doch wollen wir 2c.* ab hac re-
gula excipiuntur libelli de operis & servitiis rusticorum agentes.

§. 18. Circa citationem & comparitionem illud quoqve obser-
vandum, qvòd personæ rusticorum sint privilegiatae tempore mes-
sis & vindemiarum: Cum enim communiter vocati sit comparere, nec
contempnere auctoritatem judicis, licet non sit competens *l. 5. ff. de ju-
dic.*

dic. impune tamen hoc tempore iudicium detrectare potest rusticus propter *l. 1. pr. ff. d. feriis*: ubi Qv. an hoc privilegium recte referatur inter privilegia rusticorum, five annon potius beneficium sit commune? Resp. Si aspiciamus paulo penitius *l. 1. pr. ff. de feriis & l. 1. C. d. agric. & cens.* affirmandum prius videtur, cum Brunn. *ad d. l. 1. C. ut & l. 2. C. de feriis. n. 12.* qvia occupatis saltem circa rem rusticam illud conceditur: observantiam verò hodiernam si attendimus, affirmatur posterius: qvia feriæ humanis usibus dedicatæ omnibus hominibus profunt. *add. Habn. ad Wes. de feriis. n. 7.* quam sententiam præiudicio illustrat *Carpz. p. 1. c. 3. d. 22.* Huc quoque pertinet illud, quod sententia, quâ rusticus contumax condemnatur usque ad executionem, non valeat, nec executionem mereatur, quin potius rusticitati parcat, iuxta *l. 2. §. 1. ff. Si quis in jus voc. non ierit.* nisi rusticus in vero & manifesto dolo deprehendatur. *Berlich. p. 1. concl. 17. n. 98. Nicol. in Proc. 1. c. 35. n. 5.*

§. 19. Si progredimur & deducimus actiones rusticorum in iudicium, statim occurrit nobis jus speciale in litis contestatione: cum enim rusticorum causæ summariter tractentur, uti supra dictum, consequens est non requiri solennem litis contestationem, sed sufficere qualem qualem responsionem. *Nicol. in Proc. p. 1. c. 37. num. 9.* quod iterum beneficii loco habendum, cum alias solennis atque specialis in causis civium requiratur litis contestatio, *Carpz. p. 1. c. 10. d. 1.*

§. 20. Si devenimus ad positiones, iterum se offert favor agriculturalium: cum enim Advocatus in positionibus quid confessus sit, tam in commodum, quam præiudicium partis propter *l. 18. ff. mand.* dictum putatur, & sic præiudicat Clienti. *Mascard. de prob. concl. 381.* In rusticorum causis aliud observari tradit *Choppin. de priv. rust. l. 3. c. 1.* scilicet rusticos contra hanc confessionem quolibet tempore restituui, qvia censetur rusticus ob inscitiam eandem non approbasse.

§. 21. Sunt præterea, & alia jura specialia pro rusticis facientia, v. gr. jus retractus in alienatione metrocomiarum *l. unic. C. non licere habit. metrocom. 11. 55.* verum cum non de omnibus, sed præcipuis saltem agere nostri sit instituti, omittimus ea, & pergimus ad caput ultimum.

C 2 CAP.

CAP. VI. & ultimum

De Effectu & contrariis.

§. 1.

Debuiffem in speciali capite agere de fine privilegiorum rustico-
rum, quia verò ille est varius, & in præcedente capite singulis
privilegiis paulo commodius annexus, merito progredior ad effe-
ctus, quorum primus est, quod privilegia hæc juris communis dispo-
sitionem temperent, & vim quandam legis generalis derogandæ se-
cum ferant, *l. 14. ff. d. LL. l. 1. §. 2. l. 3. ff. d. const. PP.* uti in præcedente
capite ex singulis privilegiis apparet. Secundò huc quoque perti-
nent actiones, quibus rustici privilegia sua tueri possunt, actio scili-
cet confessoria & negatoria utilis; quamvis enim hæ actiones dire-
ctæ ad vindicandas servitutes sint inventæ, *l. 4. §. 5. & l. 11. ff. si servit.
vindic.* reperiuntur tamen loca in jure, ubi illæ ad res etiam alias ex-
tenduntur v. c. ad jurisdictionem uti ex *l. 9. §. 2. ff. de damn. infect.* de-
monstrat Hahn. *ad Wesenb. d. jurisd. n. 13.* ad receptionem decima-
rum vel reddituum *c. 25. & 19. x. de decimis*, ad jus præsentandi patro-
no Ecclesiæ competens, atque ad alia jura Ecclesiastica, prout con-
tendit Schneidev. *ad §. 2. I. de action. num. 10.* Ergo & hoc in casu iis
actionibus commode uti quis poterit.

§. 2. Cumque nihil tam firmum sit, quod destrui iterum non
possit, sequitur ut videamus quoque horum privilegiorum *contra-*
ria, quæ dependent partim à persona concedente, partim ab ipsis ru-
sticis: Illorum è numero huc referri potest *Revocatio*. Si enim rusti-
corum privilegia ex sola principis dependent liberalitate, princeps
semper & omni tempore revocandi potestatem habet *Grot. d. J. B. &
P. l. 2. c. 14. n. 13. Reink d. reg. sec. & Eccl. l. 2. class. 2. c. 8. n. 29.* Ex horum ca-
talogo sunt *I. renunciatio*, quando quis expressis verbis profitetur,
se hoc vel illo privilegio amplius non velle uti, *l. 1. ff. si quis in jus voc.
l. 4. §. 4. ff. si quis in caut. in jud. c. 17. x. d. for. comp.* quia legibus cautum
est, ut quilibet favori pro se introducto renunciare possit. *l. 41. ff. d.
minor. l. 29. C. d. pact. l. 95. ff. d. Acquir. hered.* benè tamen notandum,
quod renunciatio re non cognitâ subsistere non valeat, nec renun-
cianti præjudicare possit *l. 25. §. ult. ff. d. probat.* renunciationis enim

ea

ea est natura, ut renunciandi minus obsit *l. 89. ff. de solut. l. 17. §. 1. ff. d. pact.* præsertim à rustico facta non facile obest renunciandi, quia rusticus præsumitur sua jura, privilegia & beneficia ignorasse, maxime si de iis non certioratus fuit, nam non præsumitur quis renunciare juri, quod ignorat sibi competere *l. 19. §. cæterum ff. d. inoff. test.* hæc obiter. II. *Causæ cessatio*: quando scilicet causa, propter quam privilegium alicui concessum est, desinit. *l. 22. ff. d. excusat. l. 20. ff. d. testam. milit. l. 9. ff. tut.* hoc enim jure utimur, ut privilegium alicui ex quolibet causa concessum tamdiu duret, quamdiu durat causa *c. 60. X. de appell. Gail. l. 2. obs. 85. n. 3.* quod licet suas etiam patiatur limitationes, obtinet tamen in præsentis negotio, ubi duæ existunt causæ: I. Rusticitas seu simplicitas: Nihil itaque profunt hæc privilegia rusticis versutis, callidis, subdolis, sagacibus, in alterius perniciem eadem usurpare volentibus: Myns. *ad §. 8. I. d. excus.* Sicuti enim Senatusconsultum Vellej. deceptis saltem mulieribus, non verò decipientibus subvenit *l. 2. §. 3. ff. ad Scitum Vell.* & quemadmodum neque in delictis neque in calumniatoribus Prætor succurrit *l. 35. ff. d. min. l. 3. C. d. episc. audient.* Ita simplicibus & probis rusticis tribuuntur privilegia, Richt. *decis. 1. p. 1. n. 191.* II. Solitudo in pagis: simulac itaque rustici se conferunt in urbem, privilegiis suis defraudantur, & ad observanda jura communia adstringuntur. Brunn. *ad l. ult. Cod. de testam.*

§. 3. Qv. hoc loco, an etiam jura communia observare teneantur, si conferant se saltem in suburbia? Resp. Affirmando: Vocabulum enim urbis seu civitatis hoc loco non sumitur materialiter, quatenus significat ædificia muris inclusa *l. 2. pr. ff. d. V. S.* sed formaliter, quatenus denotat ordinationem & jus, quod habent cives, *Limn. in jure publ. l. 7. c. 1. n. 22.* quo intuitu incolæ in suburbiis pariter & intra muros habitantes in civitate commorantur. Quemadmodum itaque suburbani eadem cum urbanis usurpant jura in favorabilibus & ad commoda spectantibus, quare non etiam in iis, quæ commodum non nihil impediunt? vid. *Philipp. in Usu pract. §. l. 1. Ecl. 3.*

§. 4. III. Sunt actus contrarii; quemadmodum enim rustici nonnulla privilegia per longum usum sibi acquirere possunt, uti supra demonstravi in emptione venditione: ita etiam per non usum

& per usum contrarium amittere eadem possunt. Ubi Qv. an unus sufficiat actus? Resp. quod sic, si scilicet directò est contrarius: directa enim contraventio renunciationem tacitam inducit. *l. 2. C. d. jur. dom. impetr. Gail. l. 2. obs. 60. n. 10.*

§. 5. Potuissent eqvidem hæc omnia uberius explanari, quod autem alia planè omiserim, alia breviter tradiderim, aliæ in culpa sunt occupationes, ob quas Benevolus Lector veniam mihi indulgere, hasque ipsas theses ab alio forsitan magis elimatas expectare velit rogitò.

D. L. H. & G.

COROLLARIA.

I.
Leges Codicis derogant legibus Digestorum.

II.
Juvenis rapiens virginem raptor semper dicendus non est.

III.
Per vim stuprata amittit jus gestandi coronam.

IV.
Merces locationis conductionis non nisi in pecunia numerata consistit.

V. Rei

Y.
Rei legatae quae in commercio non
est, ne aestimatio quidem debe-
tur.

VI.

Testamentum in quo filius à matre est
praeteritus, ipso jure valet, eo au-
tem rescisso legata nihilominus
debentur.

VII.

Injuriarum actio familiari conversa-
tione post litis contestationem
instituta non tollitur.

FINIS

Non

Non benè conveniunt, nec in unà sede morantur
Rusticus in pago, civis in urbe regens.

Rusticus insulsus, civilis civis in urbe:

Et tamen à civis tollitur ore rudis.

Quid mirer? satis est, TE non in *rure*, sed *arvis*

Pieridum nobis verba dedisse fata.

gratulabundus fecit

Daniel Petermann/

Jurium Studios.

Hûc ades ô populosa cohors gens rustica, terram
Vomere quæ subigis, ruraque ritè colis!

Hûc ades, & meritas JUVENI decernito grates,

Qui tua præsentis JURA tuetur ope.

Hûc ades, inque sinu portes pia munera largo,

Munera quæ Cereri grata referre soles.

*Hæc qvalia qvalia festinus
f.*

Chr. Petermannus,

Ort. Misn.

F I N I S.





TA-OL


ULB Halle
002 100 622


3



VDA 7







B.I.G.

Farbkarte #13



D. B. V.

TIO JURIDICA

1678,6

673
7/1

De

PUIS RU-
RUM PRI-
LEGIIS,

quam

Gratiâ & Consentien-
CTORUM Ordine

RÆSIDIO

TI BENEDICTI
PZOVII,

Publ. Canon. Numburg.
Jurid. Assessor.

XXIX. D. XXXI. Maji.

L. Q. C.

orum examini exponit

U T O R

ENRICUS Schwegrichen/
isenensis,

PSIÆ,

OPHORI GÜNTHERL

H. Mag. Cyprian³

